

29.9
29.9
1752.
11

DISSE^TRAT^IO PHILOSOPHICA
DE
**PROPAGATIONE
RELIGIONIS ARMATA,**

268.
12

QVAM

D. APR. MDCCCLII.

H. L. Q. C.

P R A E S I D E

**GOTTHILF TRAVGOTT
ZACHARIAE**

PHILOS. ET LIBERAL ART. MAGISTRO,

P V E L I C E D E F E N D E T

R E S P O N D E N S

BOIANVS IOANNES STEPHANOWICZ
BALEOWICZ,

BRATONOSZICIA - ALBANVS

PHILOS. AC IVRIVM CVLTOR.

HALAE MAGDEB.
EX OFFICINA HILLIGERIANA.



DISSEMINATIO PHILOSOPHICÆ

DE

PROPAGATIONE RELIGIONIS ARMATÆ

OLAYA

AKA JESUS

AKA JESUS

PRAESIDE

GOTTHEIT TRAVAGOTT ZACHARIÆ

PHILOSOPHIA ET LITERARIA ART MAGISTERIO

EX LIBRIS DR. K. H. F. MÜLLER

RESPONDENS

BONVS IOANNIS STHAHNOICVS

SALFOVICVS

GRATIOSISSIMA - ALBINA

INITIA DE INGENIA CAVENDISH

HANAE MAGDEBVR

EX OCTINCIA HUTGERRIANA

PRAECLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
MAGISTRO PRÆSIDI,
ET NOBILISSIMO ATQUE PEREXIMIO
RESPONDENTI

S. e. o.
JOANNES IOACHIMVS LANGE,

MATH. PROF. PUBL. ORD. ACAD. IMP. NAT. CUR. ET REG.

BORVSS. SCIENT. COLLEGA.

Permittite, ut Vos, quorum quemque singulari epistola alloqui debet, volebam, multis occupationibus distractus, una compellare leceat: quia nec inepte facere videor, quoniam in defendenda una eademque disputatione academica communem ponitis operam. Non possum sine insigni delectatione recolere memoriam illius colloquii examinatiorum, quod tecum, PRAECLARISSIME MAGISTER PRAESES, frequenter qui aderant ordinis philosophici Collegae, mecum tunc Decano instituimus, & quantopere omnibus laudabiles animi Tui dotes, variam & hanc vulgarem eruditio nem, alacritatem ingenii singularem, atque insignem suavitatem morum, approbaueris. Vnanimi decreto hinc Tibi iure Tuo meritoque summo collati sunt a me Decano honores Magisterii philosophici. Optabant tunc alii mecum, ut eo tempore adhuc ambiguus rerum Tuarum status eo verteretur, ut speciminiibus academicis apud nos editis docentium numerum augeres & cum fructu studiosas iuuentutis ornares. Eo magis nunc laetor, quod haec, quae in votis erant, iam evenire videam. Nec minus gratissimum mihi accidit, quod Tu, RESPONDENS NOBILISSIME, consilio meo, ut in cathedra philosophica disputationem aliquam academicam defenderes, obsequutus fueris. Primus

nus certe et ex illis, qui Graeco ritu religionem Christianam colunt, qui
publicum aliquod diligentiae & profectuum specimen edit, qui profe-
ctus Tri eo magis sunt laudandi, quo difficilior Tibi, in tenera iuuen-
tute a Turcis capto, omnibus opibus destituto & in peregrino solo vi-
uenti, via ad bonas artes fuit, & quo majori alacritate illis, quae
Tibi hinc inde a summo numine per diuinitus sane excitatos patronos
oblata sunt auxiliis, ad litterarum studia inchoanda & prouerbenda
vhus es. Ego sane in Te cum scholas meas frequentares eundem ob-
seruqui ardorem, eandem assiduitatem, quam in aliis haud ita paucis
vestris iuuenibus, ex prouinciis patriae tuae propinquioribus longo
itinere studiorum caufa buc delatis, qui institutione mea publica, pri-
uata, priuatissima vni sunt, cum delectatione videre licuit. Hinc
etiam factum fuit, ut inter alios nostrae academie doctores publicos
nec ego ullam occasionem omiserim, qua vestris inservire potuerim com-
modis atque studiis, neque unquam illis, qui imposterum buc acces-
sari sunt, me defutaram pollicor. Gratulor hinc iure quodam meo
virique vestrum, in publicam cathedram prodeunti, munere opponen-
tis mihi delato ita functurus, ut pateat, quantopere veritati & Vobis
eam defendantibus studeam, ex animo vounens, ut Vobis ita adesse
velis gratia diuina, quo ex studiis Vestris multi atque laudabiles in
publicum redundant fructus. Me, qui nunquam Vos ex animo &
fauore meo dimissurus sum, Vestro commendo fauori & amori,

Dabam in Regia Fridericana Die XXI. Aprilis Anni

M DCC LII.



HONO-

HONORATISSIMO ET AESTVMATISSIMO
RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

Non possum non, quin TIBI gratuler publicum dexteritatis specimen, quod exhibut proxime ibis. Perrara in academiis nostris sunt exempla, quod patria & religione Graeci cathedralm confundant, non quod iis non aequae ac aliis liceret, sed quod ista licentia perpauci utuntur. Eo magis igitur mihi gratum est, quod occasioneaui hanc adeo laetus arripueris, ne ipse in patriam sine specimine redires. Argumentum, quod defendes, haud aequae lubenter in omnibus religionibus conceditur, saltem leges, quae exinde resultant, non legitime obseruantur. Nos vero, licet in aliis dissentientes, in hoc tamen plene consentimus. Graeca ecclesia iam pridem injiges perpetua est calamitates & persecutio[n]es, quibus rei Christianae hostes infensi cogere ei addicatos voluerunt ad sacra deferenda auita, quod feliciter ipsis in permultis cessit, non tamen defuerunt, qui maluerunt vita quam fide priuari. Ipsa patria
TVA

TVA continuis adhuc premitur bellis ob disensem in religione, quam
ob rem experientia dama ex ita instituta propagatione oriunda disce-
re potes. Non igitur dubito, quin strenuum argumenti nostri acturus
sit defensorem, eoque doxeritatis exemplo TVAM memoriam in
academia nostra conseruaturus, quae nibil magis optat, quam ut
scientiae atque eruditio vera ex ipsis fini in remotissimas quoque re-
giones emanent ac diuulgantur. Ultra nouennum praeceptis & do-
ctrinis maxime utilibus hic es imbutus. Utinam ex eo insignes pa-
tria TVA caperet fructus, pluresque TYO exemplo allicerentur,
salutariibus iis doctrinis operam nauare, quo non atmis solum, verum
& argumentis certis atque indubitatis religionem vestram defendere
positis! Agedum, utere perceptis doctrinis, ut decet. Non enim
addiscuntur, ut solum sciamus eas, sed ut vitae formanda moribus
que componendis inseruant. Doce in patria alios praeceptis, quae
recta non solum ratio, verum & diuina revelatio praescribit, obtinem-
perare. Si insignem ex comminatione TVA in academia nostra,
& quod hic floret, orphanotropheo, habebis utilitatem. De per-
petua TVA prosperitate me vota ardentissima fundere, precibusque
enixis summum Nomen implorare, certo certius TIBI persuadear.
Si quid de TE mereor, mei menor viuas rogo. Vale perpetuo.

Dabam in academ. Frideric. XII. Cal. Mai.

MDCCLII.





Si quid ynquam tota cogitatione optari mererur, Utilitas argu.
religio vera est eiusque propagatio legitima menti.
Nihil enim maiorem voluptatem, nihil praefan-
tiorum utilitatem hominibus praestare pot-
est quam verus Deum colendi modus, quem
vocamus religionem. Tanta sunt exinde pro-
manantia emolumenta, ut nemo, cui fructus eiusdem vere percipi-
pere datum, eandem omnes alias voluptates longissimo interruallo
post se relinquere inficias iuerit, neque hanc cum vlo alio com-
modo, quantumvis sit, commutare voluerit. Amor, quem lu-
men naturae nobis in alios homines iniungit, non solum postular,
ut eandem, qua nos fruimur, ex religione voluptatem, aliis ap-
precemur, sed etiam vt, quantum in nostris viribus positum, ip-
sis subsidia ac media, ad eandem perueniendi, indicemus & sup-
peditemus. Sed maxima in negotio tam graui arduoque cautione
ac circumspectione opus esse, nemo, qui eiusdem grauitatem rite
considerauerit, in dubium vocabit. Media igitur legitima ab ille-
gitimis probe distinguenda, hocque disserimen recte obseruan-
dum. Quod si non attendatur, quibus commodum parare stude-
mus, maximum damnum inferre videbimus, & in locum vo-
luptatis

A

luptatis

2. *Dissertatio Philosophica*

luptatis ex religione percipiendae maximum succederet tacdium & in eos, qui nobis benefacere querunt, odium. Paucis haec prae-notanda censuimus, vt eo melius de grauitate & utilitate argumenti, quod disputamus, constare possit. Ex principiis Philosophicis, propagationem religionis armatam improbadam esse, demonstrabimus. Alii disputationi reseruamus enarrationem praecipitorum bellorum ob religionem propagandam gestorum, qua cum hac collata constabit, quaenam fuerint legitima, quae illegitima.

§. II.

Quid sit religio, quo natus, colere dicantur, qui illustrandae gloriae diuinae & legibus ab ipso praescriptis, sive sunt naturales, sive reuelatae, obseruandis operam nauant. Cum modus Deum colendi pro diuersis de Deo conceptis notionibus variare possit, diuersae quoque esse poterunt religiones, atque experientia cognoscimus, reuera easdem admordum differre. Cum autem una tantum notio de Deo eiusque perfectionibus genuina esse queat, ad quam omnia, quae cum infinita perfectione consistere possunt, referenda, omnesque huic contrariae necessario fallae sunt, vnicus quoque tantum datur modus colendi Deum verus, adeoque vniqa tantum religio vera. Omnia enim, quae in diuersis religionibus vera sunt, in vniqa hac religione coniuncta sint oportet, cum sana ratio talem Dei cultum a nobis poscar, qualis inter homines obtineri potest. Haec vero, quatenus vel principiis nititur ex natura cognitis, vel reuelatione quadam instituitur, vel *naturalis* vel *reuelata* appellatur.

Religionis notiōē generalem suppeditauimus, quae simul omnes falsas religiones comprehendit, cum & ypsi loquendi sit consentaneum, quo etiam alienarum societatum, quas a vera religione aberrare iudicamus, modum Deum colendi religionem vocare solemus, sive finis religionis, qui est illustratio gloriae diuinae, eadem obtineatur, sive minus, & nostro proposito haec notio apta & sufficiens fuerit. Nobis enim non solum

folum de propagatione religionis verae armata, sed & falsae eiusus, quae
a feclarib[us] suis pro vera habetur, in nostra disputatione sermo est.

§. III.

Cultus Dei vel absolvitur actionibus internis, vel etiam utimur Religio exter-
actionibus externis, tanquam signis internarum, unde discriminorū na, interna,
inter religionem *internam* & *externam*. Signum naturale & certum
cum signato necessario conueniat oportet, si verum signum & usus
eiusdem esse debet. Actiones igitur externae, quibus Deum co-
lere annitimus, internis ex esse respondeant necesse est, taliū ex-
terne non alio modo est agendum, quam quo interno cultui Dei
non contrariatur. Ex quo colligimus, religionem externam in-
ternae conformem institui debere, nisi omni usu priuari debeat cul-
tus Dei externus. Actiones enim externas suscipimus, vt alii
exinde iudicare queant, quid sit nostrum de religione iudicium.
Mutata igitur religione externa sine mutatione internae non vere
mutatur religio.

Nostrum iam non est, eadem hic repetere, quae a multis eruditorum
in amplissimis scriptis eleganter de religione disputata sunt. Dicta propo-
sitione nostro sufficiunt, ac in reliquis lectores ablegamus ad scripta, in quibus
ex industria verae religionis indoles descripta inventur, quorum optimis
adeo cuiuslibet nota sunt, vt vnius alteriusus commendationem superuaca-
ream dicamus.

§. IV.

Cum religione Deus colendus sit, nihil vero, quod eius Cognitioni de
attributis contrarium est, adeoque quod abominatur, ipsi colendo Deo conformis
aptum esse queat, religio attributis diuinis conuenienter, adeoque sit,
secundum cognitionem, quam de iisdem habemus, institui debet.
Cum vero cognitioni atque conceptus, quos homines sibi de summo
Numine atque diuinis formant, admodum differant, non est mi-
rum, inter tot tentiarum diuoria tanta esse religionum discri-
mina. Nemo vero cognitionem suam de Deo pro falsa habebit,
cum alias, si falsitatem eiusdem perspexerit, non amplius eidem
sit assensurus. Nihil enim falsi sequimur, ac pro norma actionum

adhibemus, nisi sub specie veritatis. Quilibet igitur, cui addicte est, religionem pro vera tam diu habet, quam diu in eadem de diuinis sententia manet. Cum vero cognitio nostra variari possit, re penitus perspecta, falsitatem nostrae, ac veritatem alius religionis introspicere possumus, vbi necessario nostra deserenda, haecque amplectenda. Homines igitur eiusdem religionis vocantur, qui ob eosdem de Deo conceptus eundem modum Deum colendi, diuersarum religionum, qui ob diuersos conceptus diversum modum colendi Deum sequuntur. Non itaque mirum, quod falsae religionis affectae suam fidem eodem rigore defendant, quo ii, qui veram certissime sequuntur.

Nos iam in nos non siccipimus, pro veritate aliquicis religionis pugnare, cum fini nostro sufficiat, si ea, quae omnibus religionibus, sive sint verae, sive falsae, sunt communia, indicauerimus; ex subsequentibus enim cuilibet patet, que de propagatione religionis sumus disputationi; ad omnes religiones applicari posse & debere. Qui Christianae religionis veritatem demonstratam cupit, multa elegantissima scripta hac in re enucleare poterit.

§. V.

Nemini est in-
perium in alio-
rum religio-
nem.
Ex dictis §. anteced. recte concluditur, cuiuslibet con-
scientiae esse relinquendum, quam religionem sequi velit, quamue
deserere. Eam enim eliget, quam pro vera habebit, eam pro
vera habet, quae cum notione de Deo, quae ipsi genuina viderur,
conuenit. Ex quo simul constabit, quid de imperio principum
aliorumue in religionem sit statuendum. In re publica cives vo-
luntatem suam circa religionem summorum imperantium voluntati
submittere nequeunt, siquidem id ex iure naturae constet, ne-
mini dominium in conscientias esse concedendum. Ciuitas non
est religionis causa instituta, neque religio ciuitatis gratia, cum
altius illa originem suam repeatat imperio ciuili ac obedientia, quam
quisque pro cognitione sua Deo praefare tenetur, omnibus officiis sit anteponenda. Hoc solummodo est caendum, ne ad reli-
gionem referantur, quae eo non pertinent, cum nobis cum eo res
sit, quod ad eamdem constituentiam requiritur, ac omnes par-
tes

De propagatione religionis armata.

res accessorias penitus excludamus, quippe quae proprie conscientiae obiecta non sunt.

Ex dictis simul pater, non esse assentiendum Machiavelli principiis, qui rei publicae, ac praefertim principis utilitati esse accommodandam religionem eiusque doctrinam, in scriptis suis haud obscurè innuit. De conscientia verbius agere sois, quem nobis praefiximus, non permittit. Sufficit, reliqua ex Philosophia practica nota esse, in primis quid de conscientia errante & dubia sit statundum. In negando imperio principium in religione nolumus, vt religio cum eccllesia confundatur. Huic regimen & iurisdictionem ipsius non derogamus, sed nostrum non est, determinare, quid ipsis competit, quid non, sed id Theologis relinquimus, cum Philosophus de cultu Dei, quatenus cum Dei cognitione collateret, disputeret. Atque hoc sensu dictum illud commune negamus: *Cuius est regio, illius quoque est religio.* Pluribus hoc illustratur in SAM. PVFFENDORFII libro de habitu relig. Christ. ad vitam ciuillem, §. 6. p. 17. seqq.

§. VI.

Quamvis in praecedentibus recte, ut nobis videtur, diximus, Religionem in rem publicam non esse ciuitatis gratia institutam; id tamen ne publica necessitate nolumus, esse eam in ciuitate maxime necessariam. Religio ante ciuitates exstitit, sed ciuitates sine religione vix consistere potuerunt. Nulla enim ratione populus Dei non timens coerceri, ad obedientiam erga superiores adstringi, & iure iurando, quod tunc non esset sanctissimum vinculum nos obligans, teneri, nec in dubia causa veritas explorari potuisset. Multo minus aliqua iustitia diversarum rerum publicarum erga se inuicem exspectari potuisset. Nisi enim timor Dei ac obseruatio legum eiusdem populos sibi inuicem non subiectos ad iustitiam & aequitatem incitaret, nullum adfuisse frenum, quo retineretur licentia atque iniuria aliis populis illata, nisi semper armis ius defendereretur. Recte igitur cum Platone religionem vocamus propugnaculum potestatis ac legum & honestae discipline vinculum, & Imperatoribus, qui in legibus suis religionem contaminatam ad omnium pertinere iniuriam arbitrati sunt, assentiendum.

Nullum inquam exemplum populi ex historia proferre poterimus, ubi non saltē aliqua religionis species fuerit, quod plerique veterum Philosophorum

phorum testantur, legem omnibus gentibus esse, Deos colere, afferentes.
Ex So. hoc insignis praehantia religionis elucescit.

§. VII.

Quid si mutare dicimus religionem, si ea, quam hucusque secutus sumus, deserta, aliam a nostra diversam amplectimur. Motu quando mutatio legitima. Motu nihil agat ens liberum, nisi rationes habeat, cur ita agat, seu in rebus moralibus nisi aliquid pro bono agnoscat, sine motu nemo religionem mutabit. Cum igitur in negotio per se & cerevis paribus legitimo, quale est mutatio religionis (§. IV.) omnia ad motiva redeant, his legitimis vel illegitimis, mutatio religionis vel legitima vel illegitima euadit. Duplex praesertim genus motuorum dari potest ad religionem mutandum nos determinantium. Vel enim id sit ob conuictionem perfectam de falsitate nostrae & veritate alius religionis, vel ob alia externa commoda exinde expectanda. Si prius, haec mutatio est legitima atque approbanda, cum cognitione nostra de Deo rationem modi, Deum colendi, contineat. (§. IV.) Si posterius solum, in omni respectu est illegitima, cum religio non statui externo, sed hic illi sit accommodandus. Commoda haec expectanda externa sunt vel sola status externi emendatio, vel liberatio a suppliciis & cruciatibus, quibus ob religionem subicimur. Vtrumque est illegitimum, nisi simul prior ratio accedat, quae sola sufficit mutationi suscipienda, posterius tamen maiorem adhuc excusationem habere videtur, quam prius. Ex quo simul colligi potest, utrum totus populus eo contentire iure possit, ut religio, quae in regione quadam dominatur, mutetur, ob evitandum ipsi instans religionis causa bellum, quod merito negatur.

Supposuimus in priori motu, quod approbavimus, conuictionem perfectam & de falsitate nostrae & de veritate alius religionis. Cum enim inter duas contrarias religiones una tantum vera esse queat, altera necessario falsa est (§. II.). Quod si vero aliquis sibi periuaderet, utramque religionem veram, adeoque indifferens esse, utram sequatur, in re tam sublimi atque ardua consultum tamen erit, ne in mu-

De propagatione religionis armata.

7

in mutanda religione faciles sumus, nostramque, non nisi maxima urgentia necessitate, deferamus

§. VIII.

Propagare religionem dicitur is, qui aliis persuaderet ut religionem suam mutent s. vt eam, quam hucusque fecuti sunt, deflagratio referant, etiamque, quam persuadens pro vera haberet, amplectantur, & quo-
tor igitur dantur diversi modi, propagandi religionem, quot generamotiuorum ad murandum eamdem suadentia indicauimus (§. VII.). Persuademus enim alii aliquid, dum ipsi motiva ad id faciendum proponimus. Persuasio igitur vel fit argumentis falsitatem religionis, cui persuadendus iam addicetus est, & veritatem illius, quam ipsi commandamus, demonstrantibus, vel promissione commodorum externorum vel suppliciis ac cruciatibus ipsi inflictis, quo eriam pertinet bellum genti cuidam ob religionem inductum. Ultimam viam, persuadendi alicui, ut religionem mutet, vi adhibita externa, vocamus *propagationem religionis armata*. Ex antea dictis iam confabuit, quid de quolibet modorum, propagandi religionem, indicatorum iudicandum. Prior rem legitimum laudeque dignum, posteriores vero reiiciendos ac detestandos arbitramur, quod iam vterius probandum illustrandumque esse putamus.

In tractatione subsequenti distinguendam esse, statim initio praemoneamus, *propagationem armata* a *defensione religionis armata*. Nos iam de priori loquimur, paucis deinde indicabimus, quo casu posterior licet, quo minus.

§. IX.

Ii, qui bellum & persecutionem ob religionem movere possunt, sunt principes praeprimis. Persecutionem inducent, si De bellis propriis subiectis vim inferunt, & armis contra eos vtuntur, iis enim, qui imperio ipsorum non sunt subiecti, proprie persecutionem inferre dici nequeunt, cum hi ius habeant, eorum violentiae se opponendi, indeque bellum oriatur. Si vero subditi aequae ac alieni ar-

ni arma sumunt, ac vim ipsi a rege vel principe illatam vi repellere tentant, bellum ciuile exinde oritur. Alii praeter supremum regionis cuiusdam imperantem si persecutionem dissentientibus inducent, id plerumque principis iussu faciunt, ac tunc causa praecipua illius princeps ipse manet, vel saltem principis consensum presumere possunt, quo casu eadem est ratio, quae persecutionis principis iussu factae. Dum autem contra principis voluntatem arma sumunt ad opprimendum alienae religioni additatos, nemo dubitat, quin maxima sit iniustitia & iniquitas, cum iam id maxima culpe eorum cedat, quod vel principis iussa transgressi fuerint, vel saltem iura, quae ipsi soli comperunt, sibi arrogauerint, nimurum iis, qui ex sententia ipsorum male faciunt, poenas decernendi.

§. X.

Bellum ad re-
ligionem mu-
tandam cogens
est iniustum.

Primum igitur probandum suscipimus, tale bellum principum vel in subditos vel in alios populos, quibus cogi debent ad mutandum religionem, esse maxime iniustum. In religionem nulli principum competit imperium (§. V.) quippe de qua soli Deo iudicandum relinquitur. Neminem igitur princeps ad religionem deserendam, aliamque amplectendam cogere potest. Religio conuenienter nostrae deo cognitione est instituenda (§. IV.) quae igitur, si religio mutari debet, ipsa est mutanda. Quicunque igitur contra cognitionem suam deo in rebus ad religionem necessario pertinentibus agit, male agit, consequenter contra conscientiam agere cogitur, ac officia, quae deo deberet, laedit, saltim ex sententia sua. Bellum igitur, quod alios ad mutandam religionem cogere debet, ipsos ad officia, quae deo debere putat, negligenda ipsisque contrarie adeoque contra conscientiam agendum cogere debet. Mala igitur ac detestanda est causa, ob quam bellum suscipitur. Quid exinde maiori iure colligimus, quam ipsum bellum esse iniustum? Omne enim bellum, quo quis sibi aliquid tribuit, quod ipsi nullo modo competere potest, quale hoc casu est imperium in religionem, ac quo ab aliis aliquid obtinere vult, quod non

non solum contra omnem aequitatem, verum etiam omni iustitiae contrarium est, bellum est iniustum.

H. GROTIUS *in iure belli & pacis* L. II. c I. §. 2. tres recenset causas belli iustificas, defensionem, recuperationem rerum & punitionem, quibus persecutionem eius, quod debetur, adiungit. Ad nullam harum causarum reduci potest causa horum bellorum. Si enim aliquis ad punitionem forte referret, talen punitionem esse iniustum, infra ostendemus. Ex iisdem rationibus adductis patet, nec principem quidem cuidam mutationem religionis mandare sine iniuria posse.

§. XL.

Si iam praesertim in persecutionibus bellisque subditis suis In primis in ob religionem inductis principem spectamus, eo maior esse vide- subditos, tur iniustitia. Si subditi in omnibus boni rei publicae ciues fuerunt, si legibus eius Dei praeceptis non contrarii se sine repugnantia subiecerunt, (si hoc non fuerit, ob alia crimina poenam merentur, & iuste puniuntur, neque omnibus cum talibus sceleratis eandem proficitibus religionem imputari potest) quid maiori iure a principe exspectabunt quam ipsius protectionem? Hoc enim est principis, ut subditos suos bonos contra omnes insultus tueatur. Quid igitur magis iis iniustum videri potest, quam si ipsos severissimis crudelissimisque cruciatus expōnit, sola ratione ductus, quod in religione ab ipso dissentiant? Dum malitiose agunt subditi, dum scelera patrant, magistratus in iis puniendis iuste agit. Sed

Quis nomen unquam sceleris errori dedit?

Seneca in Tragoed.

§. XII.

Multo vero magis iniquum videtur, si magistratus iis, qui in alios potius imperio non sunt subiecti, bellum inducit coactus eos, ut pulos, cum ipso idem de Deo statuant, eodemque modo eum colant. In hos enim nihil imperii habet, multo minus conscientiae eorum leges praescribere potest. Si etiam concederetur, falsae religioni

ligioni assentire esse scelus, num ab alio magistratu exspectabitur, ut sceleratos puniat? Neque putemus, ipsi hoc competere, quia ipse huius populi magistratus in hoc erimine sit, nemo adeo sit, qui puniat illud. Neque enim hoc principis alieni est, ut criminis magistratus alius, quae non in aliarum rerum publicarum damnum cedunt, puniat. Licet enim (§. VI.) iis assenserimus, qui statunt, religionem contaminatam ad omnium iniuriam pertinere, religio tamen ab aliis populis contaminata dici nequit, nisi scelera eius confessores patrauerint, quae non ipsorum solum, sed & omni religione contrariantur, qualia sunt sacrilegia publica. Huc pertinet bellum Phoenice Philippi regis Macedoniae, quod ob spoliatum templum inter omnes gentes sanctum & inviolabile suscipiebatur. Diuersitate vero religionis religio generatim contaminata esse dici nequit. Neque hoc excusat, quod rex non solum sibi subiectorum sed etiam totius generis humani curam genere teneatur, ut *H. Grotius* moneretur ex *Themistii* orat. ad *Valentem* requirentis, reges non unius sibi creditae gentis rationem habere sed totius generis humani, non φιλοσοφεῖς vel φιλοσωφίου solum esse debere, sed & φιλανθρώπους (a). Nam hac ratione non ipsorum curam haber, si ad aliquid contra conscientiam faciendum eos cogit, sed maximam potius ipsis iniuriam infert (§. X.).

(a) I. B. & P. Proleg. §. 24.

§. XIII.

*Finis intentus
obtineri ne-
quit.*

Si iam talium persecutionum bellorumque finem consideramus, ille non solum hac ratione nullo modo obtineri potest, verum etiam quam maxime impeditur, ne alia ratione obtineatur. Finis est propagatio religionis. Homines de veritate religionis suae conuicti vel saltē se de ea conuictos esse sibi persuadentes negotiisque huius gravitatem perpendentes malunt omnes calamitates perpeti, ipsaque vita excludi, quam religionem veram cum falsa commutare, id quod non obstinationi, sed constantias in religione tribui potest. Vel igitur vincunt vel

vir-

vincuntur. Si vincunt, religionem non mutabunt. Si vincuntur, vitaque priuantur, nulla religio hac ratione propagatur. Sed dantur etiam alii, qui ad desciscendum a sacris autis se cogi patiuntur. Ad hos quod attinet, non mutata conuictione, reuera non mutatur religio (§. IV.). Externa quidem hac ratione mutatur, sed nisi externa cum interna conueniat, nihil est facienda (§. III.). Quod si interna mutari deberet, conuictio de veritate religionis est mutanda. Quis vero vñquam statuit, armis quemdam posse de veritate religionis cuiusdam conuinici. Armis cogituri ad declarandum id pro vero, quod non nisi reluctante conscientia pro vero habere potest. Si quis vere conuinici deberet, est erudiendus, intellectus eius communouendus voluntasque disponenda, quae omnia, quomodo armis obtainenda, nemo rationem adhibens concipere poterit. Si autem dantur, qui religionem mutant, atque dogmata nouae religionis credunt sine conuictione, ii nullum sane usum habent ex religione, quam amplectuntur, nisi de dogmatibus eius rite instruantur, quod fieri potuisse, si etiam armis coacti non essent, ac post mutationem religionis eiusdem veritatem explorare nobis admodum ineptum videtur.

§. XIV.

Fortasse vero hac ratione via panditur ad veram propagationem, animique praeparantur, ut deinde eo facilius perfuasatio eo imdeantur. Nullo modo hoc efficitur, probabimus contra, eo magis impeditur legitimam religionis propagationem. Confutatum hominibus est, ut ea abominentur, que ipsis damnum intrulerunt, quam ob rem eo magis religionem abhorrebunt, ob quam amplectendam fuerint oppressi. Nonne igitur hac via magis obdurabuntur, eorumque conuersio difficulter reddetur? Accedit, eos iuri naturae obsequentes vel alia ratione cognoscentes, propagationem religionis violentam esse illegitiman, ex hoc multo facilius in opinione sua de falsitate talis religionis, que dogmata tradit & iuri naturae & aliis veritatibus adeo contraria, confirmatum iri, praeferunt cum ea sit hominum conditio, ut facilius assentiant iis,

quae cum inclinationibus mentis ipsorum conueniunt, quam quae
iis adeo sunt odiosa. Quam ob rem haud raro omnem lapidem
mouent, ut in errore ipsis placente se confirment, nec veritati,
ea, in quibus oblectantur, tollenti assentire cogantur.

§. XV.

Ipsi religioni
noxium esset.

Ex dictis simul confat, ipsi religioni nullum commodum
ex ita instituta propagatione esse exspectandum, cum animos ho-
minum sua puritate non alliciat, sed potius ii infensi ipsi reddan-
tur. Eadem fata habebit, quae alia religio, qua sceleris & flagi-
tia tetra atque pestifera culiber permittuntur. Hanc enim nemo
praeter sceleratos vitiisque deditos amplectetur, omnis vero virtus-
tis amans eam abhorrebit & detestabitur.

§. XVI.

Potentissima
veram habe-
rent religio-
nem.

Quod vni religioni licet, omnibus quoque religionibus lici-
tum erit. Verae enim religioni, quatenus vera est, nullum ius com-
petit, quod reliquis competere nequeat, cum quilibet suam re-
ligionem pro vera habeat, adeoque ex eodem iure, quod sit vera
religio, sibi easdem licentias arrogabit. Si igitur membris viuis
religionis licet, eamdem armis propagare, idem etiam reliquis
concedendum esset. Semper igitur illa religio, cuius asseclae ean-
dem maxima vi propagare possent, reliquas opprimeret, atque
illa religio pro vera esse habenda, quae potentissimos haberet cultores,
cum illa facile tolleret reliquias, & eidem addictos cogeret, huic assen-
tire, hanceque pro vera habere. Quam male vero hoc conueniat cum
notione religionis verae, quilibet facile ex antea dictis colligetur.

§. XVII.

Continua bella
hinc orientur.

Si igitur omnes religiones sibi addictis illam normam pre-
scriberent, ut religionem suam vi atque igne, vbiunque fieri
posset, propagarent, num vlla religio vñquam, quam diu plu-
res sunt, vilam tranquillitatem ac securitatem exspectare posset?
Nonne semper verendum, ne alia gens aliam fidem sequens illi
bellum indiceret, cum sufficiens bellandi cauſa diuersitas religio-
nis

nis esset? Sed quid tum de religione dicendum, quae continuam necem & funestissimas clades semper necessarios & indiunctos comites haberet? Si ergo pax perpetua obtineri deberet, omnes gentes conuenire oportaret, atque decidere quaenam vera religio, tandemque omnes amplecti. Quomodo vero tot diversae gentes toto coelo contrariis sententiis assentientes vniuersi & in vnum redigi possint, non videndum.

§. XVIII.

Ipsius religionis veritas atque praestantia magis eluescit, Religionis belsi, nulla vi externa adhibita, propagatur. Plures enim allicit lis propagatae ad exploranda dogmata eius, si vident, multos eandem amplecti, praestantia non licet nullo modo cogantur, quin immo sponte eosdem commoda externa haud spernenda deserere, cum nihil praeter veritatem in religione, ad quam transeunt, ipsis sit expectandum. Sane nullum argumentum pro veritate religionis Christianae ex insigni eius propagatione desumi posset, si armis ad eandem coacti essent. Cum vero primi eiusdem doctores non nisi argumentis vterentur, quibus hominibus persuaderent de veritate illius, ac multi maxima commoda desererent ad Christianorum castra conuolantes, cum ipsis verendum esset, ne crudelissimis suppliciis ac cruciatis subiicerentur, veritati eius insignem fidem id facit. Contra propagatio insignis ac subitanea religionis Muhammedis miranda non est, cum igne & bellis eos oppresserit & extirpauerit, qui se ipsis subiicerent, eiusque religionem pro vera agnoscere noluerunt.

§. XIX.

In his, quae disputauimus, multos ex ipsa antiquitate Consensus v-consentientes habemus. Si consuetudinem veterum spectamus, perrara sunt exempla bellorum ob religionem propagandam gentium. Et ipsis iis temporibus, quibus ethnici in Christianos acerbissime saeviebant, inter ipsos ethnicos, quin immo inter ipsos Imperatores non defuerunt, qui id improbarunt. M. Antoninus

minus l. IX. Εἰ μὲν δύνασται, inquit, μεταδίδωσιν, εἰ δὲ μή, μέμνησο, ὅτι πρὸς τοῦτο ἡ εὐμένεια τοῦ δεότα, καὶ οἱ θεοὶ εὐμενοὶ τοῖς τοιούτοις εἰσιν, h. e. Si potes, doce meliora, si minus, memento, in hoc tibi lenitatem datam, ipsosque Deos talibus lenes esse. Sene-
ca de ira l. 14. Non est prudentia, ait, errantes odisse, alioquin ipse sibi odio erit. Scripta Christianorum plena sunt improbatio-
nibus persecutionum ob religionem illatarum, & non solum eo-
rum, qui ipsi seuerissimis suppliciis in angustias redacti erant, ve-
rum etiam aliorum, qui eo tempore vixerunt, quo meliora fata
religioni Christianae affulserant, postquam Constantinus M. in eo-
rum causa transferat. Athanasius episk. ad solitarios vehementissime
inuenitur in *Arrianos*, qui principum potestate in contradic-
tentes usi fuerant, ut & Hilarius orat ad Constant. Augustinus lib.
de utilitate credendi valde improbat persecutions Manichaeorum.
Et in Gallia, referente Sulpitio Seuero, damnati sunt episcopi,
qui in *Priscillianistas* gladio animadverterunt. Augustinus quidem
subsequenti tempore, ut summo rigore in *Donatistas* principes
venerentur, confusus, multisque argumentis stabilire quaesuit,
quod omnino improbandum.

Refutatio apologetiae Augustini pro persecutoribus *Donatistarum* inue-
nitur in *Eusebius commentaire Philos. sur les paroles: Contrain les d'entre*
P. III. exstante in opere eius diuersorum collectione T. II. p. 355. seqq.

§. XX.

Lipſiſ ſen-
tia.

Sed ab auctorum allegatorum sententia aliquantum recede-
re videtur IVSTVS LIPSIUS, cum in doctrina ciuili de pruden-
tia principum agit l. 4. c. 2. opp. eius *Vefaliae* 1675. editorum T.
IV. p. 63. seqq. Refert enim monitum a Maecenate Augu-
ſto datum ex DIONE CASSIO l. 3. sequentia continens: Τὸ
μὲν θεῖον πάντη πάντως αἵτις τε σεβου καὶ τὸ πάτρον, καὶ τοῖς
ἄλλοις τιμαῖς ἀνέργαζε, τὸ δὲ ζενίζοντας τι περὶ αὐτὸν καὶ μίσος
καὶ κόλασε, μὴ μόνον τὸν θεὸν ἔνεκα, ὁν παταφρονῆσαι αὐθὶ ἄλλου
αἵτινος προτυπούσεν, ἀλλὰ ὅτι καρδιὰ τινὰ δέψοντα οἱ τοιούτοις αἴ-
τοι φέροντες πολλούσε αναπειθούσιν ἀλλοτριομένου: καὶ κτούτου καὶ
συναμο-

συναρμοταῖς, οὐδὲ συζήτεσι, ἐπαιχθεὶς τὸ γέγονοντα, ἀπειλῇ μοναρχίᾳ συμβέβη. h. e. Divinum illud numen omni tempore ipse cole iuxta leges patrias, & alii ut colant effice, eos vero, qui in diuinis aliquid innovant, odio habe & cobrē; non deorum solum causa (quos tamen qui contemnit, nec aliud sane quicquam magni fecerit) sed quia noua quaedam numina hi tales introducentes multos impellunt ad mutationem rerum; unde coniurations, seditiones, cœiliabula existunt, res profecto minime conducibiles principatu. Quibus LIPSIVS adiungit: O verba ab impio & ad impium nimis pia! Haec vera prudentia, & principi, qui sapit, religio & veneratio nulla alia, nisi unius Dei tenenda est, & tenenda ex ritu veteri.--- Puni igitur, si quis turbat. Iure ille a deo proximus habetur, per quem deorum maiestas vindicatur. Serio, serio, hoc imbibite, nihil esse in rebus humanis religione praestantius, eamque summa vi oportere defendi. Cap. III. quidem quae afferuit, magis restringere videtur, distinguendo inter peccantes in religionem publice & priuatim. Piores sunt ii, qui & ipsi male de Deo receptisque sacris sentiunt, & altos ad sentiendum per turbas impellunt, quos turbones vocare ipsi placet. Postiores sunt ii, qui pariter male sentiunt, sed sibi, quos errores appellant. Piores semper puniendo atque coērcendos esse, affirmat, exceptis duobus casibus, & si melius tolli possunt retardatione poenarum. Sed ipsi nondum assentiendum nobis videtur, cum satis ambigue mentem suam explicauerit. Quid enim per turbas intelligi voluerit, non indicat, cum, si de tumultibus arque seditionis conaminibus ipsi sermo, utique concedendum, nullam hic poscendam esse tolerantiam, & ipsos leditiosos poenis quoque ciuilibus merito esse subiciendos. Sed ex oppositione constare videtur, ipsi omnem doctrinarum professionem turbarum nomine venire, cum iis errores opponat, qui sibi ipsis solum male sentiunt, & effara veterum ad illustrandam sententiam prolatâ idem produnt. Prouocat enim ad dictum Augustini: Melius est, ut pereat unus, quam ut pereat unitas atque Ciceronis: Vnde, secundum, ut membrorum potius aliquod quam

quam totum corpus intereat. Hoc sensu eius sententiam quam maxime improbamus ob rationes antea allegatas, de effatis veterum citatis non disputabimus, cum ipse *Lipsius* ea non ad probanda sed ad illustranda asserta adhibeat, & nemini in nexus ea consideranti dubium aliquod sint factura.

§. XXL

Refutatio
illius.

Hanc suam sententiam defendit *Lipsius* in libro *de una re ligione adversis dialogis*, atque *Carolus Scribanus*, Soc. Iesu Theologus, idem in *Lipsi's defensione posthuma* tuerit. Ipse illustratus & confirmatus errantium distinctionem satis prodit, se per turbatores eos intelligere, qui alios quoque de doctrinis suis instituunt, atque ad hos puniendos principi gladium datum esse arbitrari, ne per unum plures perceant. Quod quidem tum fieri posse putamus, quando praecelta principis iusta transgrediuntur in spargendis principiis rei publicae noxiis & in religionem receptam maxime iniuriis. Reliquos tranquille viventes non esse puniendos existimat, quia istos ab atra bile dies plerumque sanat & quies, in quo nobiscum sentit, si ita omnia restringantur, *Lipsius*. Interea dum cum aliis eius dictis conferuntur, dissidere a nobis videtur, cum e. g. p. 294. coactionem exemplis veterum & effatis patrum, praefertim *Augustini*, defendere conetur, quae omnia contra nos nihil efficiunt, cum exempla nihil probent, & *Augustinum* hac in re errasse, antea iam dixerimus. Multo minus hue aliquid faciunt rerum publicarum gentilium exempla, cum argumenta potius fuissent afferenda. Defensor eius prouocat ad exemplum Dei ipsius, scribens: *Non Deus ipse Iudeor coegerit sacra & ceremonias suas agnoscere? non igne, serpente, ferro relucentes coercuit? & quisquam hic mihi Deum damnabit? mulcentem volet, non minitantem, non cogentem?* Sed ubi Deus coegerit homines ad veram religionem amplectendum? Nonne ipse erat Iudeorum rex, vnde ipsis leges dederat, & transgredientes punire poterat? Nemo id in principe reprehenderet, si transgressores legum suarum severissime punit.

Deus

Deus nullum superiorem agnoscit, vnde nullius leges ipsius legibus sunt anteponendae. Principes vero Deum superiorem agnoscunt, vnde, si eorum leges contrariantur legibus diuinis, his sunt postponendae. Deinde defensor ille aequo ac *Lipsius* exemplis pugnat, quorum vel alia fuit ratio, vel tamen non imitatione digna sunt, id denique monens, reliquos gradus monitorum, promissionis praemiorum & minarum antecedere debere, eos poenas sequi. Omnia ea vero nihil ad excusationem coactionis facere, deinde euincemus, promotionem quoque praemiorum & minas esse illegitima demonstraturi.

§. XXII.

Spectantes denique ipsam rei publicae utilitatem, haud contemnenda incommoda ex tali persecuzione in ipsam redundantem Reipublicae obseruabimus. Si enim ciues sua officia negligunt, seque principi opponunt ipsoſ opprimenti, bella ciuilia, quae nunquam sine maximo damno rei publicae finiuntur, oriuntur. Subditis autem officia sua obseruantibus, & in religione sua persistentibus, maximae clades inter subditos fient, ac subditorum numerus admodum minuetur, quod nulli reipublicae commodo esse poterit. Negotiis quoque cum aliis gentibus officiet; nam, qui sunt alii religioni addicti, sibi cauebunt, ne in regiones huius principis proficientes in idem periculum, in quod subditi, incurram. Possent adhuc damna quaedam ex bellis cum aliis populis ob religionem gestis allegari, quae, cum a quolibet facile cognosci possint, omittimus, ne nimis prolixii simus.

§. XXIII.

Probata iam iniustitia armorum ob religionem propagandam sumtorum, & indicatis damnis exinde oriundis, breuibus adhuc ostendemus, quid euilibet magistratus erga ipsi subditos in sacris dissentientes faciendum. Si fieri potest, nec principi rei publicae conueniens videtur, eosdem republica excludere, sunt tolerandi, ipsisque permittendum, vt modo, qui ipsis optimus Deo-
C que

que conuenientissimus videtur, Deum colant. Ad hanc toleratiā vero non pertinent sacrorum publicorum concessio, vt templorum usus, sed tantum ut ipsis, si ab iis abstinent, quae in alia religione falsa ipsis videntur, id non prohibeatur. Concessio enim sacrorum publicorum a principis arbitrio dependet. Si errores fōent ciuib⁹ noxi⁹, ipsis diuulgationem errorum suorum prohibere potest, ne malis ac pestiferis doctrinis ciuium mores corrumptant.

§. XXIV.

Erudendi sunt
vel libertas
emigrandi con-
cedenda.

Si autem errores ab his hominibus defensi rei publicae no-
cent, eidemque vel seditiones vel alias corruptiones comminantur,
nonne tunc ad abiurandum iis cogi poterunt? Nondum fieri id pos-
se arbitramur, sed anteā sunt erudiendi, atque de falsitate religio-
nis & principiorum ex ea deductorum conuincendi. Errantis enī
poenas esse, doceri, *Plato* sapienter dixit. De iis tantum loqui-
mur, quorum religiō haec fieri principia, non de hominibus se-
ditiosis & turbulentis, qui ob tegenda crimina sua tantum haec
falsa ac pernicioſa dogmata excogitarunt. Hi enim ob mala con-
mina poenas merentur. Alii vero, qui id nullo modo intendunt,
si verendum, ne in periculum quandam res publica incurrat, at-
que si conuinci de errore vel nolunt vel non posse putant, iis li-
bertas, rei publicae terminis exceedendi, concedatur, vel ut exce-
dant, ipsis mandetur. Publica enim securitas ob paucorum reli-
gionem periculo exponi nequit.

§. XXV.

Obiection
prima.

Ne qua amplius obstare his sententiis videantur, quaedam
obiectiones tollendae restant. Primum dici posset, ac sunt reue-
ra, qui dicunt, non cogi hos homines ad religionem mutandam,
sed solum ut se institui ac doceri patientur. Ad hacc quadruplici
ratione respondemus. I.) Vel cogi debent solum ad alterius
religionis doctrinam, eius argumenta & oppositorum dubiorum
solutionem audiendum, vel etiam ad iis afflēsum præbendum.

Si pri-

Si prius, id sine coactione in plerisque casibus obtineri potest, quod propagatio religionum ostendit. Si posterius, idem est, quod improbauimus, ac iniustum esse demonstrauimus. 2.) Mens tot cruciatibus ac turbationibus commota in continuo timore, ne maioribus atque non tolerandis suppliciis subiicitur, versans, vix explorare potest veritatem religionis cuiusdam. Eadem est ratio, si gens quedam continuis bellis occupetur, donec consentiat ad religionem mutandam. Quomodo illa veritatem religionis atque doctrinarum eius sub examen vocare potest? Praeterea vel de veritate religionis suae cogendi sunt coniucti, vel minus. Si prius, si mulque timore Dei ducuntur, non mouebuntur ad eam deserendam. Si posterius, vel amplius odio erga persecutores concepto duici se obdurabunt, vel sine examine abdicabunt religione suae, ut suppliciis liberentur. 3.) Exempla contrarium monstrant, cum ii, qui his excusationibus videntur, quales sunt praeferunt Pontificiorum clerici, post institutionem, si assensum doctrinis suis præbtere recularunt instituti, armia sumserint, iisque eos compellere tentaverint, vel saltem, si nondum instituti fuerint, sola institutione non contenti fuerint, sed & assensum postulauerint. 4.) Motiu, quibus videntur, iam sunt illegitima, cum ex altera parte ipsis acerbissimas poenas comminantur, ex altera autem bona atque commoda maxima vel opum vel honorum, cum persuasio ad religionem amplectendam non fieri debeat nisi argumentis, quibus veritas ac praestantia eius probatur.

§. XXVI.

Defensores propagationis armatae secundo loco excipiunt, Obiectio se-
se non nisi omnibus aliis mediis abhibitis ad coactionem proce- cunda.
dere, ac tunc esse bella atque supplicia non nisi poenas ob obsti- nationem & pertinaciam. Obstinatus hoc casu quidam dicitur,
qui doctrinae cuidam assensum denegat, licet de eius veritate
coniuctus. Sed respondemus: 1.) Vnde sciunt, eos esse coniuctos, si id negant? Respondent, ex dupli fundamento ipsis
hoc cognoscere, si non amplius ad obiectiones respondere vel con-

C 2

tra

tra responsones ad dubia excipere possint , & si argumen-
ta ipso die sunt clariora . Ad prius quod arinet , ex eo,
quod aliquis intricata quaedam dubia ex fundamento profligare nequeat , nondum sequitur , cum esse de veritate do-
ctrinae cuiusdam coniunctum , praeceps si doctus contra
inductum disputat . Ad posterius eadem quaestio repeti po-
test : Vnde scimus , argumenta his hominibus sole clariora esse ?
Quod enim nos pro indubitate & manifesto habemus , non statim
alii ita videtur , quia vel plus vel minus vident quam nos . Idem
quoque retorquere possent , de suis doctrinis statuentes , easdem
sole esse clariores , & ex hac ratione aduersarios suos pro obstina-
tis habere . 2) Quis nobis ius concessit , puniendi homines ob
obstinationem in religione ? Nemini nisi sibi ipsi hac pertinacia
nocent , neminique nisi Deo imperium in religionem competit .
Si obstinati sunt erga mandatum magistratus legitimum , iure pu-
niuntur , sed si doctrinae cuidam assensum praebere iubentur , hoc
mandatum est illegitimum .

§. XXVII.

Obiectio
tertia.

Si tertio obiicerent , non nisi verae religioni ius cogendi
competere , eo ipso cuilibet religioni conceditur , cum qui-
libet suam religionem pro vera habeat . Haec vero iam supra sunt
refutata (§. XVI.) vnde hic repetitione supersedere possumus .

§. XXVIII.

Obiectio
quarta.

Posset nobis porro obici , cedere hanc coactionem in com-
modum coactorum , cum eadem ad veram religionem perducantur . Sed ad haec respondemus 1.) beneficia nemini obrudi , vnde nec Deus ipse homines ad beneficia ab ipso accipienda coget . 2.) Homines cogendi id pro beneficio non agnoscunt , cum se a veritate ad falsitatem , a luce ad tenebras duci patent . 3.) Maximum beneficium erit , si instituantur de veritate oppositae , ac
falsitate illius , cui addicti sunt , religionis , quod sine ulla coactio-
ne fieri poterit .

§. XXIX.

§. XXIX.

Christiani in primis ad expressum mandatum legislatoris Obiectio-
sui, Christi, prouocare posent, ac reuera prouocant, qui ipsis quinta-
iussit Lue. XIV. 23. vt eos cogerent ad intrandum. De hoc nota-
mus. 1.) Si diuini huius legislatoris effatum cum alis conciliari,
nec contradicere ipsis debet, hic non de coactione physica vi atque
armis facta, sed de morali, quae fit moriuis, sermo fit oportet.
2.) Vox ὀψινάζειν saepissime hoc significatu adhibetur, vt Marth.
XIV. 22. Marc. VI. 45. Act. XXVIII. 19. aequae ac παρελθεσθαι
Luc. XXIV. 29. Act. XVI. 15. 3.) Si contextus conferatur, con-
trarium constabit. Si qui enim fuissent cogendi, sine dubio fuissent
recusantes venire. Sed ex antecedentibus pater, eos non esse
coactos, sed solum invitatos.

Hæc sufficiant de sensu huius dicti ex rationibus philologicis & con-
tu probato. Qui philosophica de eo legere cupit, audeat supra laudatum
commentarium P. Baelii in haec verba, qui argumenta philologica negli-
gens solum ex rationibus philosophicis ex explicat.

§. XXX.

Iidem Christiani vel Iudaci nobis forte opponent manda Obiectio-
rum Dei Deut. XIII. 13 - 19. quo, si qua vrbs Israëlitica a vera si. sexta.
de deficeret, & idolatriæ ream se faceret, eam vastari, fundi-
tus euerti ac omnes, qui vitam haberent, gladio interfici iussit;
quo accedit factum Eliae, qui omnes Baalis sacerdotes interfici
iussit 1 Reg. XVIII. 19 - 40. Ad haec obseruandum 1.) regnum
Israëlis fuisse Theocratiam, vbi Deus solus adorari ac coli debe-
bat, praesertim Theocratiae nomen merebatur eo tempore, quo
lex allegata ferebatur. Cum igitur alios deos fictos colerent, pro
rebellibus in summum imperantem erant habendi. 2.) Multis
argumentis conuicti esse poterant de falsitate religionis ethnico-
rum, atque nullam excusationem habebant, vnde Deus eosdem
de obstinatione punire poterat, quod vero eam ob caussam homi-
nibus non licet. 3.) Factum Eliae eiusdem erat indolis, atque Elias
non ex suo arbitrio, sed Dei mandato hoc fecit, cum principes
seditionisorum subditorum Dei puniret.

C 3

§. XXXI.

§. XXXI.

Obiectio septima. Sed hac ratione, excepit forte quispiam, tolerantia generalis introduceretur, quae maximas confusiones ac dissensiones in re publica pareret. Sed 1.) id negatur, ex intermissa propagatione armata vel persecutione dissentientium oriri tolerantiam generalem. Nam quod si princeps tolerare non vult plures religiones, ipsi adhuc restat, ut emigrare iubear dissentientes. 2.) Si vero concederetur, quidnam mali exinde oriri posset? Respondent: Confusiones maxime ac dissensiones, dum diuersa docent. Hoc nihil in societate civili mutare potest. Si enim dissensiones oriuntur, id sit, quia ciues religioni dominanti addicti reliquos tolerare nolunt, adeoque ex non tolerantia, nec ex tolerantia. 3.) Si exinde seditiones atque tumultus pertimescuntur, factis seditionis nulla tolerantia conceditur, sed ob tumultus, qui sunt crimina civilia, maximo rigore sunt puniendi.

§. XXXII.

Obiectio octava. Tandem forte nobis obiiciet aliquis, existare multa exempla, esse homines hac ratione ad veram religionem perductos, & de errore conuictos, si coacti fuerint, melius ita esse, quam si factum id non esset. Respondemus 1) Donec euincatur, negotiorum hoc per se esse legitimum, & demonstratio iniuritatis euertatur, haec exempla nihil probant. Nam quis nobis libertatem concescit, mala faciendi, ut bona eueniant? In Theologia naturali demonstratur, Deum malum, quod permittit, ad bonum finem convertere. Sed num ex hoc concludemus, nos mala perpetrare posse, ut Deus ea in bonum vertere queat? Nemo sane hanc rationem argumentandi approbat. 2) Dantur aliae viae, quibus apud eos, qui conuinci possunt, idem obtineri potest, vbi coactio ne non opus est.

§. XXXIII.

Defensio armata. Promisimus, de defensione quoque religionis *armata* quacdam distinere ob nexum, qui huic cum argomento nostro intercedit, ut pateat, quid iis, qui ob religionem bello opprimuntur, sit

sit faciendum. Hoc in argumento iterum præcipua quaestio eo
redit, licetne talis defensio nec ne, ad quam cum discrimine re-
spondendum, ratione habita diuersi status defensorum. Hi enim
vel sunt magistratus vel subditi principis bellum inducentis. Ma-
gistratus vel nulla ratione principi bellanti sunt subiecti, quo per-
tinent aliae res publicae earumque principes, vel sunt magistratus
ipsi subiecti inferiores. Postiores vel in summo imperio nullam
partem habent, vel sibi aliquid referuarunt, vt iura atque priuile-
gia sua ipsis etiam contra summum imperantem defendere licet,
quales sunt electores ac principes imperii Germanici, qui se Im-
peratori non adeo subiecerunt, vt ipsis non contra eundem iura
sua defendere licet, sed ipsis etiam cum Imperatore in summo
imperio partem habent.

§. XXXIV.

Iam si de diuersis horum hominum generibus inquiramus, Licet summis
quibusnam liceat, religionem per arma defendere, nemo negabit,
summis imperantibus contra alios religionem armis tueri licere.
Cum enim neminem in terra se superiorem agnoscat, ipsisque
non solum liceat, verum etiam incumbat, res suas & patriae leges
contra invasores ac hostes publicos tueri, & pro iis pugnare, cur
ipsis non liceret, pro aris & focis dimicare f. religionem suam de-
fendere. Maior enim est iniuria ipsis illata, si ob religionem bel-
lo obducuntur, quam si ipsis alia iura in controuersiam deducun-
tur. In imperio Germanico religionis defensio præcipue in Impe-
ratores delata est, quibus eam ob causam in constitutionibus im-
perialibus, aurea bulla, capitulationibus, recessibus imperii, aliis
que scriptis tam publicis quam priuatissimum nomen tutorum ac defen-
sorum religionis imponitur. Vnde Constantino M. aliisque laudi
tribuendum, quod contra gentes infideles & barbaras religionem
Christianam defenderint, atque conscientiarum libertatem subditis
suis vindicauerint. Neque omnia promiscue bella ob religionem
contra Turcas gesta sunt improbanda, si sacra Christiana contra
ipso fuerunt defendenda, vel saltē cauendum fuit, ne immi-
nens ipsis a Turcīs bellum religionem ipsorum euerteret.

§. XXXV.

§. XXXV.

Defensio alia-^{etiam} Hinc quoque nullo modo improbandum, cum princeps rum rerum publicis religionis causa oppressis auxilium ferre decer- blicarum.

nit. Cum enim foedera ob communem securitatem cum aliis inita sint legitima, cur non ob religionis defensionem eodem iure foedera lanciri possent, in primis si eiusdem fidei socii fuerint op- pressi? Id praesertim requiritur, si principi verendum, ne, op- pressa alia republica, ipsum inuaderet communis religionis hostis, qui cum oppressis coniunctione praeueniri posset.

§. XXXVI.

Licet iis, qui in summo imperio partem ha-
in summo im-^{bent}, suaque iura contra summum Imperantem defendere possunt,
perio partem
habent.

iam agendum. His contra hostes externos pro facris pugnare lici-
tum esse, nemo inficias ibit. Sed iis etiam contra summum Im-
perantem, cui aliquo modo se subiecerunt, in casu maximaee ne-
cessitatis religionem defendere licere, a plerisque iura asservitur.
Cum enim iura maiestatis analoga participant arque exerceant, &
summus Imperans capitulatione limiteretur, contra quam aliquid
suscipere nefas, per se autem omnem vim iniustam, quae contra
paecta & conuentiones inferritur, amoliri licet, ipsi libertas manet,
praeter alia iura & religionis libertatem contra ipsum defendendi.
Multum hac de re tempore reformationis in Germania & haud ita
multo post illam disputatum est. Cum enim in conuentu Spirens-
si anni 1529. & comitiis Augustanis anni 1530. religio Protes-
tantum eslet improbata, & omnium mutatorum restitutio postulare-
tur, Protestantes de foedera incundo religionis defendendae gratia
cogitarunt, quem in finem principes Smalcaldiae sub finem anni
1530. conuenerunt, formulam foederis conscriperunt; eadem
anno sequenti confirmarunt, in secundo conuentu anno 1536. in
decem annos renouarunt, & formulam subsidii & contributionis
anno 1537. confecerunt. Imperator cum fratre suo Ferdinando
aliisque religioni Pontificiae addictis foedus isti contrarium Norim-
bergae anno 1538. sanciuit. Bello igitur anno 1546. in flammis
erumpente, foederati principes arma pararunt, ad vim vi repel-
len-

lendam. Licet autem Imperator bellum non ob religionem indixerit, sed ob rebelliones, quarum eos accusabat, *Protestantes* tamen has accusationes negantes tanquam bellum religionis gratia sufficiptum illud ingressi sunt. Qua occasione inter Theologos, Jureconsultos & Philosophos admodum de quæstione illa, sine defensio religionis armata licita, disceperatum est. Iudicia & argumenta affirmantium & negantium collegit HORTLEDERVS de *bello Smalcaldico* tom. II. & MELCH. GOLDASTVS in *polit. imperial.* part. XXXI. de *defensione libertatis & religionis* fol. 1371. seqq. Disfudientes bellum id ex ea ratione fecerunt, quia principes imperii Germanici cum magistratibus inferioribus Romanorum veterum falso compararunt, qui non nisi magistratus erant a summis Imperantibus delegati, & in omnibus summo imperio subfuerunt, & quia nec Christus nec apostoli hanc defensionem iusserunt. De ultimo, tanquam Philosophi disputantibus, nobis videtur, si propagatio armata a defensione armata distinguitur, a silentio ad improbationem non concluditur, & imperii Romani status eorum temporum tanquam ab hodierno toto coelo diuersus consideratur, omnem facile difficultatem tolli.

§. XXXVII.

Quid iam de subditis & magistratibus inferioribus in omni-Subditis nonbus summo Imperanti subjectis statuendum? De iis, defensionem licet, eorum armatam in oppressione religionis a principe facta illegitima esse, sine ylla restrictione asserimus. Subditorum est obediere principi in omnibus non conscientiae contrariis, in quibus obediiri ob maiora officia nequit. Quamobrem dum depreciationibus a principe obtinere non potuerunt, vt dispensentur ab obseruatione legum summi omnium rerum Monarchæ legibus contradicentibus, patientia ea sunt toleranda, quae ipsis ob recusatam obedientiam infligit. Eadem est ratio, si ipsis a magistratibus inferioribus suppliciis ob religionem afficiuntur, hic enim regressus ad summum imperantem patet. Id obseruatim legimus a Christianis, persequentibus eos Imperatoribus ethnicorum sacris addictis, vnde Tertullianus apologet. c. 35. citante & explicante H. Grotio I. B. & P. I. I. c. 4. §. 5. 6. Unde Caffi, inquit, & Nigri & Albini? unde

D

de

de qua inter duas lauoros obseruantur Caesarem? unde qui faucibus eius exprimendis palæstricam exerceant? unde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Sigeris ac Parthenitis audaciore? De Romanis (nisi fallor) id est, de non Christianis, & Ambrosius orat. aduersus Auxent. l. 5. Coactus repugnare non noui: dolere potero, potero flere, potero gemere aduersus arma, milites, Gothos quoque lacrimae meae arma sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis. - Exigebatur a me, ut compescerem populum: referebam in meo iure esse, ut non excitarem, in Dei manu, ut mitigaret. Magistratus inferiores a principe delegati cum non sint nisi priuati atque subditi respectu Principis, non dubitandum, quin ipsis armis defendere religionem non licet contra summum imperantem.

§. XXXVIII.

Subditis vel
fugiendum vel
tolerandum.

non est debet

Nonne igitur yllum medium licet subditis adhibere, quo ipsis illatam persecutionem amoliantur. Si fuga ipsis pater, non est dubitandum, quin fugere liceat. Religionem enim suam hoc modo salvam & incolument feruant, vitacne suae prospiciunt. Quod si vero hoc ipsis non licet, nihil ipsis residuum erit, nisi patientiae & tolerantiae gloria. In eo enim acquiescere possunt, se in omnibus reliquis legi diuinæ non aduerfantibus officiis suis exacte satisfecisse, in hoc vero sanus esse, irae arque persecutioni principis se exponere, feruata solum conscientiae libertate, & haud transgressis, quae maioris aestimanda, praeceptis summi & regum & subditorum Monarchæ.

Rationes, quas assert auctor vindicarum contra tyrannos in inscriptio-
ne editionum plurimarum Stephanus Junius Brutus nomine facto dictus,
qui in editione Amstelodamensi anni 1661. Theodorus Beza esse dicitur,
a Gisherto Voëtio autem, qui Bezan ab hac suspicione liberatum iuit,
aliosque pluribus Hubertus Languetus esse creditur, nihil contra nos pro-
bare, facile apparer. Praedicta eo redeunt 1.) Populum duplex pacium
faneiuissime, alterum cum Deo, alterum cum rege, virumque esse feruan-
dum, in casu igitur collisionis satius esse, desistere a rege, quam a Deo.
Resp. Nullus calus datur, ubi talis defecitus a rege ob collisionem officio-
rum necessarius sit. Dum enim rex ad iniusta cogere subditos vellet, suffi-
cit, si omnes deprecationes vanæ sunt, ut non obedient, & quod rex de

de ipsis decernit, patientes sufferant. Sic officiis erga Deum satisfit, neque arma contra reges sumuntur. 2.) Populus constituit regem, populus sine rege consistere potest, rex vero sine populo ne cogitari quidem, adeoque populus unius eius rege est superior, ipsumque ad officia sua observanda vi adigere potest. Resp. Falsa est consequentia, eam ob causam populum esse superiorem. In constituendo enim rege ipsis se subiecit, atque omnibus iuribus maiestaticis abdicavit, & in regem detulit, praesertim eo casu quo nullam libi referuerunt in imperio partem. Eodem iure exinde concludi posset, regem non posse populo unius eius leges ferre, & quid esset rex, si populo de iustitia legum eius iudicare, & quod ipsis placuerit, obseruare, quod non, reiicere posset? Consecutus auctor hunc librum tempore, quo Reformati in Gallia ob religionem oprimebantur, & in eorum gratiam defensionem armatam legitimam esse iudicauit, sed num totus populus ibi consentit ad repellendam injuriam quibusdam a rege ob religionem illaram? Si igitur totum quoque concederetur argumentum, quid exinde in gratiam horum Reformatorum concludi posset, adeoque partem populi rege esse superiorem, potius fuisse probandum.

§. XXXIX.

Ipsi quoque subditi ob religionem oppressi calamitatibus ipsi Persecutiones inflatis rite vrantur oportet. Praecipue vero ipsis vitandum, non probant statim ex persecutionibus ipsis illarum ad suae religionis veritatem argumententur. Id quidem falsum, si in contrarium hae calamitates adhibentur, ac ut iusta Dei punitio considerentur, quod quidem eos afflgentes putant, non attendentes ad maxima supplicia, quae primi Christianorum ob veram religionem perpetrata sunt. Sed non minus ex altera parte peccatur, dum ita supplicia pro argu-
mento veritatis alicuius religionis adhibentur, quod praesertim a Christianis fieri solet & omnium facilissime potest, cum ipsis principiis eorum, Christus, maximas calamitates cum verae religionis cultu fore connexas, praedixerit. Religio enim vera calamitates quidem coniunctas habet, sed non omnis, quae calamitates connexas habet, est vera. Exstant permulta exempla, quod Iudei post seruatorem natum vel gentilium sacris addicti multas sustulerint persecutiones, sed quis exinde, veram eosdem colere religionem, probabi-
litas exinde a quibusdam pro religionis Christianae veritate peti, quod inter insignes persecutions adeo amplificatus sit & incremen-

28 *Dissertatio Philosophica, de propagatione religionis armata.*

ta ceperit coetus Christianorum, cui ita instructo & cum aliis argumentis firmioribus collato vtique vim & pondus esse tribuendum concedimus.

De hoc arguento conferri merentur scriptores de veritate religionis Chrilliane, inter quos eminet *B. Mart. Kuntzen*, cuius scriptum quartto prodiit anno 1747.

§. XL.

Quaenam inter calamitates vi-remus, quaenam sit vera, quae falla religio. Nihil inter homines tanta magis obseruat, quam vt eam religionem, quam parentes securi sunt, pro vera habeant sine ullo vteriori examine. Dum igitur de veritate illius contenditur, eo maiori industria opus est, ne calamitates per se quidem iniustas subeamus sine necessitate, quod fieret, dum in religione perseueramus, de qua post legitimam explorationem cognosceremus, eandem non esse veram. Dum igitur ea, quae vera est, religio armis propagatur, quod non nisi errore fieri posset, ac nos eius veritatem perspicimus, assensu, quem eidem praebemus, persecutiones sunt uitanda. Neque dubitandum, quin Deus persecutions eas permittens id intendat, vt homines afflicti de maiori de religionis veritate certitudine fiant solliciti. Obseruamus quoque, inter has calamitates plures exsurgere ad euincendum probandum que id, de quo disputatur, vnde tum praestantissimam nancisimur occasionem, in id inquirendi. Sedulo præterea caendum, ne ius ad indifferentium religionis perducatur. Facile enim fieri potest, vt nobis indifferens videatur, quamnam sequamur religionem, semperque eam amplectamur, quae maxima commoda tecum coniuncta habet. Omnem vero religionem sine discrimine amplectens nullam sane habet religionem. Quam noxius vero hic error non solum ipsis errantibus, verum & rebus publicis sit, iam non euincendum, cum ab aliis ea de re luculentissima arque elegantia scripta sint confecta.




ULB Halle
001 015 494

3



Sb.



DISSE^TAT^O PHIL^OSOPH^ICA
DE

PROPAGATIONE
RELIGIONIS ARMATA,

QVAM

D. APR. MDCCCLII.

H. L. Q. C.

P R A E S I D E

G O T T H I L F T R A V G O T T
Z A C H A R I A E

PHILOS. ET LIBERAL ART. MAGISTRO,

P V B L I C E D E F E N D E T

R E S P O N D E N S

B O I A N V S I O A N N E S S T E P H A N O W I C Z
B A L E O W I C Z ,

B R A T O N O S Z I C I A - A L B A N V S

PHILOS. AC I V R I V M C Y L T O R .

HALAE MAGDEB.
EX OFFICINA HILLIGERIANA.

